

FLORA.

N^o. 11.

Regensburg.

21. März.

1845.

Inhalt: Sendtner, Monographia Cyphomandrae, novi Solanacearum generis.

Monographia Cyphomandrae, novi Solanacearum generis, auctore OTTONE SENDTNER, Philosophiae Doctore.

Adjecta Tabula lithographica.

Praefanda.

Mihi de descriptione stirpium Brasiliensium e familia Solanacearum satagenti, series quaedam specierum obviam venit, distinctissimo habitu et antherarum indole singulari *novum hujus familiae genus* constituens, quod ob suam distributionem per totam Americam tropicam dignam materiam praebere mihi visum est dissertationis botanicae. Quamquam enim e nostro genere *Cyphomandra* major specierum pars jam diu cognita fuisset, sedes tamen in systematibus botanicis diversas atque inter se omnino alienas hucusque occupabat, quum notae characteristicae aut minus probe ab auctoribus revelatae, aut omnino praetervisae ad comparandum inter congeneres nexum atque rationes vix ac ne vix quidem suppetere.

Inter primos, qui de hujus generis membris tractarunt, auctores Florae Peruvianae, Ruizius et Pavonius, nobis constant, qui in tertio volumine anno 1799 edito tres huc pertinentes species (*Cyphomandram pendulam, obliquam et viridifloram*) pro civibus *Solani* generis descripserunt et delineaverunt. Paucis annis post, (a. 1801.) Cavanillesius in sexto volumine iconum plantarum in Hispania aut sponte nascentium aut cultarum, Nro. 599. tab. 524. *Solanum betaceum*, quod mera est *Cyphomandra*, cognitioni nostrae tradidit.

— Dein Willdenovius in suo herbario servatam speciem *Cyphomandram caracasanam* a Bredemeyero in Caracas lectam pro *Solano heterophyllo* sibi adnotavit, quam serius Römerus et Schultesius in systemate vegetabilium nomine *Solani caracasani* reddiderunt.

In itineralio anno 1817 a clarissimo Equite de Martius in Brasilia conscripto continentur observationes de *Cyphomandra diplocono* institutae, quibus hic auctor primus omnium characterem nostri generis, cui tamquam novi „*Diploconos*“ nomen imponendum censuit, explicaverat, quod nomen ipse tamquam duabus tantummodo speciebus conveniens caeterisque ineptum nuper in *Cyphomandram* mutavit. Deficiente vero comparandorum congenerum opportunitate in tertio volumine Novorum generum (anno 1828 edito) istam speciem (*C. diploconon*) cum *Cyphomandra divaricata* generi *Witheringiae* inseruit.

Suppetentibus igitur nunc speciminibus omnium fere huc pertinentium cognitarum specierum et accedentibus quatuor novis, analysis de antheris instituta veram nobis praebuit notam characteristicam, qua hoc genus eo meliore jure superstruendum videbatur, quo in Solanaceis antherarum indoles constantissima semper inter reliqua discrimina praevaleat. — Non parum quidem dolemus, fructus maturos seminaque nobis omnino defuisse.

Cyphomandra Mart.

Character generis essentialis.

Calyx quinquefidus vel quinquepartitus, patellaris vel urceolatus. *Corolla* quinquefida vel quinquepartita, aperta, limbo plano vel recurvo. *Stamina* quinque, corollae fauci inserta, erecta: *filamenta* brevissima, basi in anulum coalita; *antherae* loculis duobus apice poris geminis verticaliter transversaliterque dehiscentibus, connectivo longitudinali dorsali calloso v. gibboso conjunctis. *Ovarium* biloculare; *placenta* multiovulata, in *dissepimento* longitudinaliter adnata. *Stylus* rectus, simplex, filiformis vel obconicus, basi articulatus, *stigmatem* clavato vel deplanato emergentiis binis, vel convexo umbraculiformi, vel capitato-hemisphaerico. *Bacca* bilocularis elongata. *Semina* . . .


Nomen generi impositum a connectivo dorsali-gibboso loculos jungente.

Solanum Ruiz et Pavon Flora Peruviana ex parte. — Dunal Monogr. ex parte, omniumque eos sequentium autorum.

Witheringia Mart. ex parte.

Character naturalis.

Arbusculae vel frutices. *Ramorum* dispositio habitum induit dichotomum maximacum necessitate peractum. Res enim ita se habet, ut omnis ramus flore videlicet inflorescentia terminatus, antequam stadium florigenum intraret, e foliis binis patriis emittat ramulos duos oppositos (quorum superior antidromicus subvalidior) summa regularitate indolem rami primarii a quo originem ducunt repetentes. Antecedunt enim folia bina transversaliter posita, sequuntur altera bina his decussata, flos terminum ponit.



Hoc schema simplicissimum ubique typum solemnem exhibens peculiari petiolorum cum caule coalitionis nisu penitus confundi solet. Inde accidit, ut folium patrium (α et β , 3 et 4) non basi ramuli axillaris ex ipso geniti insideat, sed sedem ab origine suo dissitam occupet in dorso ramuli axillaris, juxta hujus primogenitum folium. (Recalescentia v. metatopia per exophoriam Schimp.) — Utriusque folii inferioris axillae non raro folium secundarium, tamquam rudimentum ramuli axillaris enascitur (conf. Cyph. divaricatam). — Et hoc quoque Cyphomandris cunctis proprium est, ut caulis et ramuli non in omni peripheria circum circa increscant, sed unilaterale incrementum capiant in omnibus quam caulis quam ramorum articulis repetendum, quo fit ut pedunculus inflorescentiae e centro dichotomiae in oppositum i. e. minus evolutum latus deflectatur. — *Folia* subcoriacea membranaceave longe-petiolata, simplicia, fissa, partita, ternata vel quinata, basi plerumque cordata, ambitu ovato, oblongo vel imo lanceolato. — *Inflorescentia* (terminalis ut supra expositum) cymam refert typo scorpioideo. Deficit omne bracteolarum vestigium, inde aegre discernendum est, utrum bracteola florigena (prophyllum Schimp. — *bractée sousflorale Bravais* —) singula an binae adsint. Pari-ter vernatio valvata impedit, quominus enunties, quorsum spira phyllo-

gonica florum sese vertat — nihilominus ex analogia ramificationis elucet, cymam characterem antidromiae quoad ramulum *superiorem* prae se ferre (sc. cymam esse antidromicam ex superiore Schimp. — *cime unipare scorpioide descendente directe Bravais.* —) Si pro axiomate haberi licet, convergentibus prophyllis versus axim primum spiram cycli insequentis primi folium suum *secundum* in averso latere habere, sive axi primario vicinum et *primum* folium igitur in anteriore latere (*der Cyclus sey hintumläufig*): in hoc nostro genere Cyphomandrae transitus a prophylo ad primum folium floris eadem lege effici patet. In plurimis formis cincinnus scorpioides eformatur e bracteolarum fertilium simplici serie; rarius obviam venit cyma ultra evolutionem primordiale bilaterally effigurata, rarissime (uno casu solummodo nobis oblato) composita corymbi formam exhibet. Sequentes inflorescentiae modos in Cyphomandris observamus.

1. *Cinnum scorpioidem* — hypopodiis (i. e. articulis pedicellorum infimis, Blattglieder Endl. et Unger) rachin plus minus rectam vel horsum vorsum flexam formantibus, ita ut facies racemiformis evadat.
 - a. rachi elongata: in Cyphomandra divaricata, calycina, sciadostyli, diplocono, viridiflora;
 - b. rachi contracta: in C. Velloziana, obliqua, brachypodia.
2. *Cymam; partitione primaria 2—3 chotoma, lateralibus cunctis scorpioideis.*
 - a. rachi elongata: in Cyph. pendula et betacea;
 - b. rachi contracta: in Cyph. caracasana.
3. *Cymam divisionibus primariis et secundariis biserialibus, reliquis unilateralibus scorpioideis:* in Cyph. corymbiflora.

Pedunculus communis vel potius *pseudoaxis* (*pseudothalle Bravais.*) basi plerumque ad oppositum axillae latus flexus, indeque vel stricte erectus, vel nutans, vel horizontaliter porrectus, vel pendulus, plus minusve flexuosus, non raro horsum vorsum flexus, partitionibus patentibus vel divaricatis. *Pedicelli* ebracteati, alterni, plus minus remoti, in rachi scorpioidea abbreviata contigui, filiformes, graciles, 3—12 lineas longi, basi articulati; steriles decidui post actum nuptialem, indeque cicatricem relinquentes plus minus exsertam. *Vernatio* valvata. *Flores* ambitus diametro 10—18 lineari.

Calyx varia ratione in sequenti tabella exposita probatur:

- I. Calyx patellaris v. cupularis amplius corollam subaequans: *C. calycina* et *caracasana*.
- II. „ „ „ minor $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{5}$ corollae metiens:
1. ad medium quinquefidus,
 - a. sinu inter dentes acuto.
 - α . dentibus obtusis: *C. obliqua*, *betacea*;
 - β . „ e truncata basi acuminatis: *C. Diploconos*;
 - γ . „ ex ovato acuminatis: *C. brachypodia*, *Velloziuna*, *viridiflora*.
 - b. sinu inter dentes obtuso: *C. sciadostylis*.
 2. ultra medium 5-partitus
 - a. laciniis acuminatis: *C. corymbiflora*;
 - b. „ longius acuminatis: *C. divaricata*.
- III. Calyx urceolatus: *C. pendula*.

Corolla in plurimis speciebus ad $\frac{3}{4}$ — $\frac{4}{5}$ partita, patellaris vel rotata, laciniis ovatis, obconicis lanceolatisve, in una specie (*C. pendula*) ad dimidium divisa infundibuliformi-campanulata; colore virescenti (*C. brachypod. divaricata*, *viridifl.*), roseo aut incarnato-albido (*C. Diploconos*, *betacea*), purpureo (*C. pendula*), coerulescenti (*C. divaricata*), violaceo (*C. caracasana*). *Stamina* aut erecta aut e filamentum recurvato vel saltem reclinato adscendentia. *Antherarum* facies admodum diversa, connectivi forma semper characteristica. In plurimis connectivi protuberantia in dorso antherae basin versus valde dilatata et gibbosa, subcordata, prae loculis prominens, cum filamentum facie anteriore coalita; vel antheram aequans, rarius ista brevior; superne sub apice antherae evanescens. Non raro (in duabus speciebus: *C. calycina* et *sciadostyli*) et anterior pars connectivi inter loculos denudata circa medium callum angustum plus minus elongatum (callum facialem) exhibet (vid. Tab. I. fig. 1. et 5.; — Tab. IV. fig. 3.). Loculi apice non raro recurvato, poris binis minutis retro et lateraliter tantum conspicuis pertusi, papillis minutis sicut et connectivum exasperati. Color antherarum violaceus, in *Cyph. brachypodia* albidus. Filamenta brevissima vel brevissima teretia vel deplanata basi inter se in anulum coalita. Sequitur explicatio systematica notarum, quibus differunt *Cyphomandrarum* hucusque exploratarum antherae.

Connectivum basi subito dilatata longius quam loculi apice recurvi; callo faciali: *calycina*.

Connectivum	basi subito dilatata	longius quam loculi apice recurvi; absque callo fac.: <i>diploconos</i> .
"	" " "	longius quam loculi apice recti, fila- mento subnullo: <i>divaricata</i> .
"	" " "	longius quam loculi apice recti, fila- mento elongato: <i>corymbiflora</i> .
"	basin versus sensim incrassatum,	longius quam loc. recti, fil. subnullo: <i>caracasana</i> .
"	" " "	longius quam loc. recti, fil. elongato: <i>brachypodia</i> .
"	antheris angustius, loculos apice recurvos aequans, callo faciali:	<i>sciadostylis</i> .
"	" " "	recurvos aequans, abs- que callo faciali: <i>pendula</i> .
"	" " "	loculis apice rectis brevius: <i>betacea</i> .

Ovarium conicum vel ovato-conicum. *Stylus* cum *stigmatē* co-
num obversum ovarium aequantem refert in *C. calycina* et *diplocono*
(vid. Tab. I. fig. 7.; — Tab. III. fig. 5. et 6.), cylindricus cum stig-
mate umbraculiformi boleti figuram mentit in *C. sciadostyli* (Tab. IV.
f. 9. 10.), elongatus filiformis ex antherisque emersus apparet stig-
mate capitato-hemisphaerico in *C. caracasana* (Tab. II. fig. 3.) et
C. brachypodia, stigmatō truncato clavato in reliquis speciebus. —
Bacca ovata, oblonga, elliptica, obovata vel pyriformis. — *Semina*
adultā non suppetunt. — Tota planta inermis vel nuda, vel pilis
simplicibus non raro glanduliferis plus minus dense vestita. Foliis
quarundam specierum indumentum singulare in pagina inferiore pro-
prium est, e papillis minutissimis densissimisque effectum.

Affinitatem, qua utetur inter congeneres, discriminaque quibus a
singulis differat *Cyphomandra* comparemus in sequenti tabula:

A. Antherae longitudinaliter dehiscentes:

I. inclusae in fauce corollae

1. infundibuliformis — bacca calyce aucto condita: *Physalis* L.
2. globoso-inflatae — bacca nuda: *Margaranthus* Schlecht.

II. exsertae:

1. distantes — bacca calyci aucto imposita 2—1 locularis, co-
rolla limbo plicato: *Sarracha* Ruiz et Pav.
2. conniventes:

lia demum superante, deflexa parum flexuosa; floribus maximis; alabastris ovatis obtusis vertice pilosis; calyce 5-partito; connectivo dorsali basi cordata gibbosa prominente; callo faciali inter loculos apice recurvatos; stylo obconico quam ovarium parum longiore. (Tab. I. fig. 1—7.)

Witheringia Mart. Herb. Fl. Bras. Nro. 1260. *

Frutex parvus, dichotome ramosus. *Rami* teretes pubescentes cortice alutaceo. *Petioles* flexuosi 1—1½ pollicares sicuti pedunculi pilis nonnunquam glanduliferis patentissimis vestiti. *Folia* lamina 3—5 pollices longa, 1¾—2½ vel 3 pollices lata, supra pilis remotiusculis pubescens, superficie inferiore minutissime et molliter papillosa indeque canescenti, pilis aequalibus quam superior obsita. *Pedunculus communis* basi ex uno furcae ramulinae latere ad alterum flexus, tunc ad 1—1½ pollicem nudus, demum rudimentis pedicellorum delapsorum lineam fere longis per intervalla circiter trilineararia et uno alterove folio obsitus, longitudine 3—9 pollicari. *Pedicelli* curvati, secundi, 6—10 lineas longi, in calycem non incrassati. *Calyx* quarta parte connatus, pilosellus, laciniis oblongis acutiusculis longe ciliatis nervosis. *Corolla* (ut videtur non rotata sed patula) magna, 6 lineas longa, basi ad ⅓ vel ¼ coalita, deinde in lacinias 5 oblongo-lanceolatas partita, intus glabra, extus hirsuta, marginibus barbatis. *Antherae* in filamentis brevibus e basi stellatim coalita retrorsum flexis adscendentes, circiter 4 lineas longae, papillis minutulis exasperatae. *Loculi* apice bilobo recurvato retrorsum biporosi, basi breviores quam connectivum. *Stylus* ex antheris aliquid emersus, glaber.

Prope Rio de Janeiro: Schott. — In Brasiliae *Serra da Mantiqueira* Januario florens: Mart. Herb. — In aliis Brasiliae partibus: Raben, Sellow.

2. *Cyphomandra caracasana*, puberula; foliis simplicibus oblongis, ternatis pinnatisque; inflorescentia bifida quam folium brevior, pendula, rachi florifera scorpioide, alabastris ovato-globosis; calyce 5-partito; antherarum loculis rectis, quam connectivum latum basi brevioribus, callo faciali nullo, stigmate capitato-hemisphaerico in stylo filiformi longiore quam ovarium. (Tab. II. fig. 1—3.)

Solanum heterophyllum Willd. Herb. Mss. — S. caracasana Röm. et Schult. Syst. veget. IV. p. 664. — Walpers Repert. Bot. III. p. 96. —

Arbustula pulchra ad 10 pedes alta, ramis dichotome divisis

valde patentibus, fastigiatis, junioribus laxè pubescentibus. *Folia* membranacea, cum petiolo pubescente vix ultra-pollicari 5—7 pollices longa; simplicia oblonga acuminata, basi in petiolum oblique desinente, costis subsexjugis; ternata quinataque foliolis lateralibus subpetiolatis, ovato-oblongis vel oblongis, obliquis, terminali majori oblongo utrinque acuminato. Pagina superior viridis (et in sicco colorem servans) pilis adpressis (?) dissitis; inferior pilis crebrioribus minoribus obsita, canescens, absque papillis. *Inflorescentia* in axilla ramulorum. *Pedunculus* basi curvatus, dein rectus, superne bifidus in rachin florigeram densifloram, pedicellorum delapsu cicatrisatam (longitudine bipollicari a me visus). *Pedicelli* 9-lineares circiter. *Calyx* amplus corollam subaequans laciniis ovatis. *Corolla* glabra violacea laciniis ovatis. *Antherae* recurvo-erectae violaceae filamento brevissimo: *loculi* poris sursum spectantibus: *connectivum* sensim in gibbum latum basi prominulum incrassatum. *Ovarium* conicum. *Stylus* filiformis cum *stigmatibus* capitato-hemisphaerico ex antheris emerso ovarium duplum longus. *Bacca* ovato-oblonga, succosa, sesquipollicaris, polysperma.

Circa Caracas in fossis montanis in humo fertili rara: Brede-meyer.

Sectio II. Calyx quam corolla multo brevior.

a. Stylus obconicus brevis crassus.

3. *Cyphomandra diploconos*, glabra; foliis cordatis vel ovato-oblongis; inflorescentiae folia raro superantis pedunculo communi simplici arcuato basi erecto; alabastris ovatis acuminatis; calyce quinquefido partitionibus ad tertiam corollae partem attingentibus latis et truncato acuminatis; antherae loculis apice recurvis absque callo faciali, brevioribus quam connectivum basi lata valde gibbosum (Tab. III. fig. 1—10.).

Witheringia diploconos Mart. Nov. Gen. et Spec. III. 74. t. 227. — Walpers Repert. Bot. III. p. 30.

Frutex altitudine 4-pedali, omnino fere glaberrimus, ramis flexuosis teretibus, furcato-patentibus, cortice ex olivaceo brunnescente. *Folia* cum petiolo flexuoso $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ pollicari 2—4 pollices longa et ultra, latitudine proportionaliter sat variabili, acuminata, integerrima, glaberrima, subcoriacea; costis 4—5-jugis, basilaribus recurvatis, sequentibus minus patentibus quam superiores. Pagina inferior papillis minutissimis obsita, in specimine sicco quam superior

nigrescens pallidior apparet. *Pedunculus* in axilla ramulorum plus minus elongatus 1 — 3 pollices longus. Rudimenta pedicellorum valde exserta, ad 2 lineas distantia. *Pedicelli* inferiores superioribus longiores, fere pollicares, flexuoso-patentes. *Alabastrum* basi subtruncatum. *Calyx* deplanatus tertiam fere corollae partem attingens, e pedicello subito dilatatus, vix ad medium in dentes latissimos ciliolatos divisus. *Corolla* rotata laciniis ovato-lanceolatis acutis diametro subpollicari, crassiuscula, rosea, costa medio violacea. *Antherae* ventricosae in filamentis brevibus basi in membranam crassiusculam coalitis decurvatis, demum geniculato-adscendentibus erectae (nec contiguae vel uti icon exhibet stellato-expansae) violaceae, odore melleo. *Loculi* poris apicalibus retro-spectantibus. *Ovarium* conicum. *Stylus* conum inversum sistens ejusdem magnitudinis ac ovarium, eoque subcrassior. *Stigma* planum vel concaviusculum intus glandulas duas orbiculares convexas continens. *Bacca* non visa.

In sepibus ad Sebastianopolin et in *Serra dos Orgãos*, nec non in via ad *Tejuco* et prope *Fazenda dos Negros* provinciae Sebastianopolitanae in Brasilia Novembri et Decembri floret: Eq. de Martius.

b. *Stylus cylindricus* brevis, stigmate amplo umbraculiformi.

4. *Cyphomandra sciadostylis*, glanduloso-pubescens (hirtumve); foliis simplicibus vel partitis, cordatis oblongisve; pedunculo communi basi flexuoso dein recto (plerumque erecto) demum rachi florifera horsum vorsum flexa recurvato, folia subaequante; alabastris subellipticis apice rotundatis; calyce 5fido laciniis ovatis acuminatis; antherae loculis apice recurvis basi connectivum dorsalem angustum subaequantibus; callo faciali; stylo ovarium ovato-conicum aequante vel aliquid longiore. (Tab. IV. fig. 1 — 10.)

Solanum conicum Vell. Flor. Flum. II. t 96. — *Sol. fluminense* Steud. Nom. pag. 602.

Frutex ut videtur: ramis furcato-divisis, teretibus, alutaceofuscis, uti petioli pedunculique pilis patentibus plerumque glanduliferis obtectis, inter quos non raro et pili longiores nudi occurrunt. *Folia* cum petiolo plerumque flexo 1 — 1½ pollicari 3 — 5 pollices longa, quoad ambitum variabilia, in eodem specimine mox latiora emarginatura basilari cordata, mox angustiora sine ulla emarginatura, oblonga, in plurimis simplicia, rarius divisa in lacinias vel partitiones

plus minus profundas, ternata foliolis ovatis, tri- vel quinque partita, imo et pinnata, pinnis lanceolatis basi semper contiguis. Costae subquinquejugae. Pagina superior praeter nervos glabra, nitore subcoriaceo, in sicco nigrescens; inferior pilis brevibus simplicibus inter papillas minutissimas dense obsita, viridi-canescens. *Pedunculus* vel in ramulorum axillis vel extrafoliaceus vel oppositifolius, 1 — 3 pollices longus, in superiore parte rudimentis pedicellorum inaequaliter per intervalla 1 — 2 linearia dispositis obsitus. *Pedicelli* distiche patentes, flexuosi, 3 — 6 lineares longioresque; fructiferi valde recurvati, ad 9 lineas elongati, incrassati, sigmoidei. *Alabastrum* pubescens. *Calyx* scutellatus, e pedicello subito dilatatus, brevis, vix ultra quintam quartamve partem corollae metiens (in uno specimine Sellowiano ad $\frac{1}{3}$ corollae porrectus laciniis angustioribus) dentibus ovatis acuminatis, pubescens, pilis simplicibus rigidulis patentibus. *Corolla* ultra apices sepalorum partita, laciniis in sicco oblongis acutis (rotata vel scutellata?) diametro circiter 10-lineari. *Stamina* duplum minora erecta. *Antherae* in filamentum brevissimo circa stylum tubum fingentes stigmatum amplissimo convexo supra bicalloso insidente quasi umbraculo tectae, papillis minutis exasperatae. *Stylus* et *stigmatis* inferior pars barbatus. *Bacca* in calyce vix adaucto turbinato adpresso, oblonga, vertice obtuso aliquid producta. *Ovarium* biloculare, placenta in dissepimento longitudinaliter affixa. *Semina* juniora vidi suborbicularia, plano-convexa, rugulosa.

In Brasiliae provincia S. Paulo circa *Mogyguaçu* Augusto florens: Mart. — In Brasilia australiore: Sellow.

e. *Stylus elongatus*.

a. *Stigma hemisphaerice dilatatum*.

5. *Cyphomandra brachypodia* †, glabrescens; foliis magnis cordatis simplicibus; rachi florifera, scorpioidi brevi recurvata; alabastris ovatis acutiusculis; calyce 5-fido, dentibus ovatis acuminatis; loculis antherae rectis basi quam connectivum gibbosum eosque latitudine aequans brevioribus; callo faciali nullo (Tab. V. fig. 1 — 3.).

Frutex. *Folia* cum petiolo pollicari 5 — 6 pollices longa, 3 — 4 $\frac{1}{2}$ pollices lata, breviter acuminata, venosa, venis circiter 5-jugis praeter nervos glabra, supra nitore coriaceo, subtus papillis minutissimis opaca. *Pedunculus* oppositifolius (an semper?) 9 — 15 lineas longus, patens, basi rectus, dein recurvatus, cicatricibus distichis ses-

silibus contiguis. *Pedicelli* graciles, inferiores ultra semipollicares. *Alabastrum* glabrum. *Calyx* scutellatus brevis, quartam corollae partem metiens, ad medium in dentes ovatos acuminatos divisus. *Corolla* 5 lineas circiter longa, profunde partita, duriuscula, viridis, lacinii lanceolatis acutis. *Stamina* erecta: *filamenta* brevissima; *antherae* crassae loculis apice in poros sursum spectantes dehiscentibus, connectivoque basin versus leniter intumescente, 2 lineas longae, albae. *Ovarium* conicum glabrum; *stylus* filiformis rectus glaber cum *stigmatem* hemisphaerico viridi medio biglanduloso ex antheris prominens, ovarioque $1\frac{1}{2}$ longior. *Bacca* ovoidea obtusa, extus et intus aurantiaca, glabra, seminibus albis complanatis.

In Brasiliae provincia a Rio Negro dicta, in sylvis ad *Ega* Decembri florentem legit Eques de Martius.

β. *Stigma truncato-clavatum*.

6. *Cyphomandra obliqua*, glabrescens, foliis cordatis simplicibus obliquis, rachi florifera brevi scorpioideo recurvata; alabastris obtusiusculis; calyce quinquefido crenis obtusis; antheris....

Solanum obliquum R. et Pav. Fl. Peruv. II. 39. t. 174. fig. a.

Differt ab antecedente specie, cui proxima, foliis obliquis, calycis lobis obtusis, stigmate clavato, colore florum purpureo-violaceo, antherarumque violaceo.

In Peruvia crescit.

7. *Cyphomandra betacea* molliter brevissimeque pubescens; foliis magnis cordato-oblongis simplicibus longe petiolatis; pedunculo communi petiolum circiter aequante, bi- vel trifido, partitionibus patentibus leniter recurvis; alabastris ovatis acutis; calyce scutellato quinquefido dentibus ovatis rotundatis; loculis antherae rectae quam connectivum angustum longioribus, callo faciali nullo. (Tab. IV. fig. 1—6.)

Solanum betaceum Cav. Ic. no. 599. t. 524. — Dunal Monogr. p. 169. — Willd. Enum. H. Ber. I. p. 233. — Röm. et Schult. Syst. IV. p. 576. — Walpers Repert. Bot. III. p. 43. — Sol. crassifolium Ortega. Dec. 9. pag. 117.

Foliorum petiolus proportionaliter longus, longitudine laminae semipedali tripollicaris. Nervorum costae 6—7-jugae. Pagina inferior ut in plerisque generis speciebus papillis vel verruculis perpusillis cum lente aegre perceptibilibus, pilisque brevibus obsita, tactu mollis subvelutina, superior parcius pubescens. *Inflorescentia* in axilla ramorum vel oppositifolia. *Pedunculus communis* basi flexuo-

sus, ad medium, videlicet ad $1 - 1\frac{1}{2}$ pollicem integer, dein bi- vel trifidus, pubescentia brevi. Rudimenta pedicellorum in rachi florigera scorpioide valde exserta, inferiora ad 2 lineas remota, superiora confertiora. *Pedicellos* vidi quinquelineares. *Alabastra* glabrescentia. *Calyx* brevis scutellatus ad medium in dentes latos obtusos, apice prominulo intensius viridi instructos divisus. *Corolla* profunde (ad $\frac{3}{4}$) partita, rotata, diametro subpollicari, laciniis lanceolatis ciliolatis recurvis, alba, dilute rubescens. *Antherae* erectae in filamento recto $\frac{1}{4} - \frac{1}{5}$ staminis partem metiente oblongae, grossae, $2\frac{1}{2}$ lineas longae flavae. Loculi bini recti apice poris minimis perforati, dorso quam connectivum basi et supra longiores. *Ovarium* conicum glabrum. Bacca ovata, $1 - 1\frac{1}{2}$ pollicaris, immatura viridis, zonis obscuris; matura lateritia.

Habitat in Nova Hispania — in hortis Algesirae colitur: Schott.

8. *Cyphomandra pendula*, pubescens; foliis simplicibus, ternatis quinatisve; pedunculo pendulo furcato trifidove quam folia sublongiore; floribus maximis; calyce urceolato breviter 5-crenato, corolla infundibuliformi, antheris erectis, connectivo angusto loculos basi aequante callo faciale nullo. (Tab. VII. fig. 1 — 3.)

Solanum pendulum Ruiz et Pav. II. p. 39. Tab. 174. f. a. — Dunal Mon. p. 168. — Röm. et Schult. Syst. IV. p. 576. — Walpers Repert. Bot. III. pag. 42.

Frutex biorgyalis, ramis patentibus dichotomis, pubescentibus. *Folia* in petiolo $1 - 2$ -pollicari vel simplicia cordata, vel ternata quinatave, foliolo terminali cordato, lateralibus ovatis obliquis, basi inferiore petiolo adnatis, superiore liberis, venis subsexjugis, discoloria, supra pilis appressis, subtus densioribus vestita canescentia. *Pedunculus communis* in axilla ramulorum basi flexus, dein rectus, strictus, robustus, ad duorum pollicum longitudinem simplex, dein in ramos $2 - 3$ patentes divisus. *Pedicelli* alterni $2 - 3$ lineas distantes, patentes, $5 - 8$ lineares, delapsu cicatricem albescentem valde exsertam relinquentes. *Alabastrum* oblongum obtusum. *Calyx* vix quartam corollae partem metiens, urceolato-hemisphaericus, vix ad medium in lobos latos rotundatos subtruncatos medio apiculatos divisus. Corolla carnosa infundibuliformis ad medium connata, laciniis lanceolatis acutis apice reflexis, obscure purpurea, extus pubescens. *Antherae* in filamento (proportionaliter longo, quartam staminis partem exportante reclinato) ventricosae, erectae. Loculi apice sursum biporoso tumidiusculo aliquid recurvati, basi connectivum angustius aequantes. *Ovarium* conicum stylusque rectus filiformis glaber, stigma exsertum clavatum. Bacca magna obovato-pyriformis, lutea.

In Peruviae Provincia *Panatahuarum* praesertim in *Munna* locis silvaticis umbrosis habitat, a Majo ad Augustum florens: Ruiz et Pavon l. c.

9. *Cyphomandra corymbiflora* †, glabrescens; foliis longe petiolatis majusculis cordatis; inflorescentia folium subaequante divaricato-ramosa; alabastro ovato-subgloboso (?); calyce brevi profunde partito, laciniis anguste ovatis acuminatis, loculis antherarum rectis, quam connectivum brevioribus; callo faciali nullo. (Tab. VIII. fig. 1 — 4.)

Frutex ut videtur; ramulis junioribus crassis, teretibus, hirtis. *Folia* membranacea cum petiolo hirta non raro dimidiam folii partem exportante 6 — 9 pollices longa, acuminata, pagina superiore glabra, subtus pilis brevibus dissitis puberula sine papillis. Venarum costae subsexjugae, basi binis ternisve approximatis radiatim divergentibus. *Cyma* composita in *pedunculo* hirta ad pollicis longitudinem vel ultra simplici; partitiones florigerae pilis brevioribus densioribusque glanduliferis obsitae, valde flexuosae; *pedicelli* articulati filiformes in calycem aliquid incrassati, inferiores ad 2 lineas remotae longiores, ultra semi-pollicares, superiores approximati. *Calyx* ad $\frac{2}{3}$ partitus, quartam quintamve corollae partem metiens, hispidulus, membranaceus. *Corolla* ad quartam partem connata, laciniis lanceolatis patentibus margine ciliolatis. *Antherae* scabriusculae in filamento brevissimo. Loculi vertice poris pusillis sursum spectantibus pertusi. Connectivum dorsale basi cordata prominulum prae loculis, sursum angustatum, lineare. *Ovarium* ovatum conicum asperum. *Stylus* filiformis, rectus, basi puberulus vel glaber, *stigmatibus* truncato-clavato aliquid emarginato. Fructus non visus.

Hanc speciem admodum distinctam inflorescentiae ramositate in Brasilia australiore legit Sellovius.

10. *Cyphomandra divaricata*, pubescens; foliis integris oblongo-lanceolatis; inflorescentia quam folium longiore simplici strictiuscula; alabastris elongatis ovato-cylindraceutis; calycis 5-partiti laciniis longe acuminatis, corollae tertiam partem aequantibus; antheris erectis elongatis; loculis rectis; connectivo basi subito dilatata prominente. (Tab. IX. fig. 1 — 6.)

Witheringia divaricata Mart. Nov. Gen. III. 75. t. 228. — Idem Herb. Flor. Bras. pag. 327. Nro. 626. — Walpers Repert. Bot. III. pag. 30.

Frutex ramis gracilibus, virgatis, non raro dichotomis patentibus, teretibus, laevigatis, pubescentia alutacea e pilis simplicibus patentissimis instructis. *Folia* solitaria, rarius gemina 3 — 6 pollices longa, 1 — 2 pollices lata, petiolo 6 — 9lineari, acuminata, basi subobliqua rotundata, variabilia, intermixtis brevioribus, subcordatis, membranacea. supra minus quam subtus pubescentia, costis nervorum 6 —

9jugis reticulato-anastomosantibus. *Pedunculi communes* in axilla ramulorum erecti, longissimi, 6 — Spollicares, pubescentes, tenues, firmuli, basi circumflexa, dein stricti, mox supra basin florigeri, floribus biseriatis, inferioribus remotiusculis interdum pollicem distantibus, cicatricibus pedicellorum delapsorum elevatis. *Pedicelli* 6 — 8 lineas longi, flexuosi, patentissimi. *Alabastrum* ambitu ovato-lanceolatum versus apicem obtusum elongatum, pilis rectis scabrum. *Calyx* ultra tertiam corollae partem porrectus, profunde (circiter ad $\frac{3}{4}$) partitus, basi e pedicello subito dilatatus, pubescens, laciniis e basi latiore ovata subito in longum acumen productis, integerrimis, ciliolatis. *Corolla* ad quartam circiter partem connata (rotata? vel potius patellaris?) laciniis ex ovata basi in acumen lineare acutiusculum elongatis, apicem versus leniter reflexis, pubescentibus, colore coeruleo-vel viridi-albo. Diametrus corollae explanatae ultra pollicaris. *Antherae* 3 $\frac{1}{2}$ lineas longae, lineares, filamentis brevissimis, basi inter se connatis, recurvis, quo fit ut antherae basi incumbant. Loculi recti apice poris minutis sursum spectantibus pertusi, basi breviores quam connectivum e linea dorsali angusta subito dilatatum gibbosum. *Ovarium* pyriformi-conicum, glabrum uti *stylus* filiformis quarta parte ex antheris emersus, *stigmatibus* subtubiformi terminatus.

β. herbacea: foliis latioribus subcordatis, calyce brevius acuminato, connectivo basi minus prominulo.

In sylvis ad *Ilheos* Januario florentem, nec non in montosis silvaticis ubi a *Mineiros* ad *Lorenam* descenditur in Provincia S. Pauli Decembri florentem legit Equ. de Martius. — In arbustis prope *Itapemerim*: M. Princeps Vidensis. — Varietatem *β.* legit in Brasilia australiore Sellow.

A p p e n d i x.

(*Species huc referendae iconibus relatae, speciminibus haud suspectae, ex analogia habitus de simili antherarum modo suspectae.*

11. *Cyphomandra Velloziana*: pubescens; foliis simplicibus cordatis; pedunculo communi folium subaequante patente simplici; alabastris ovatis acutiusculis; calyce brevi quinquefido, laciniis ovatis; antheris — — —; stigmatibus exserto clavato; bacca elliptica obtusa pendula.

Solanum elegans Vell. Fl. Flum. II. 95.

Proxima *Cyphomandrae* betaceae, a qua differt: petiolis multo brevioribus, vix sesquipollicaribus, foliis cordato-ovatis minoribus, fachi florigera simplici.

In Brasiliae districtu Sebastianopolitano: Vell.

12. *Cyphomandra viridiflora*: pubescens, foliis simplicibus cor-

dati; pedunculo communi folium subaequante, dependente simplici; alabastris oblongis obtusis; calycis ad medium quinquefidi dentibus acutis; antheris — — —; bacca anguste obovato-pyriformi pubescente.

Solanum viridiflorum Ruiz et Pav. Flor. Peruv. II. p. 38. Tab. 173. fig. b.
— Dunal Monogr. p. 169. — Röm. et Schultes Syst. veget. IV. p. 576.
— Walpers Répert. Bot. III. p. 43.

In Peruvia: Rz. et Pav. loc. cit.

Forte huic generi et *Solanum adenotrichum* Dun. (Monogr. p. 236. — Synops. 46.) inserendum videtur, species brasiliana ab Vandellio in Röm. Scriptores de plant. Hispan. etc. p. 86. his notis indicata: „*Solanum* caule inermi fruticoso; foliis cordatis, acuminatis, utrinque glanduloso-pilosis integerrimis; floribus racemosis.“

Expositio tabularum.

Tab. I. *Cyphomandra calycina*.

Fig. 1. anthera loculo altero sublato, ita ut callus facialis denudatus appareat.
Fig. 2. pori apicales antherae retrorsum spectantes. Fig. 3. dorsum antherae. Fig. 4. anthera lateraliter visa. Fig. 5. facies antherae. Fig. 6. ovarii sectio transversalis. Fig. 7. pistillum.

Tab. II. *Cyphomandra caracasana*.

Fig. 1. antherae facies. Fig. 2. antherae dorsum. Fig. 3. pistillum.

Tab. III. *Cyphomandra diploconos*.

Fig. 1. et 3. antherae lateraliter visae. Fig. 2. antherae facies. Fig. 4. stigma desuper visum. Fig. 5. pistillum. Fig. 6. pistillum cum calyce.

Tab. IV. *Cyphomandra sciadostylis*.

Fig. 1. anthera juvenilis. Fig. 2. anthera adulta lateraliter visa. Fig. 3. antherae facies. Fig. 4. anth. dorsum. Fig. 5. pori apicales. Fig. 6. semina statu juniore. Fig. 7. ovarii sectio transversalis. Fig. 8. bacca juv. Fig. 9. calyx cum pist. Fig. 10. pistillum.

Tab. V. *Cyphomandra brachypodia*.

Fig. 1. antherae dorsum. Fig. 2. antherae facies. Fig. 3. anth. lat. visa.

Tab. VI. *Cyphomandra betacea*.

Fig. 1. anthera lat. visa. Fig. 2. antherae facies. Fig. 3. antherae dorsum.
Fig. 4. stylus. Fig. 5. ovarium. Fig. 6. calyx.

Tab. VII. *Cyphomandra pendula*.

Fig. 1. antherae dorsum. Fig. 2. antherae facies. Fig. 3. anth. lateraliter visa.

Tab. VIII. *Cyphomandra corymbiflora*.

Fig. 1. antherae facies. Fig. 2. antherae dorsum. Fig. 3. calyx cum pistillo.
Fig. 4. anthera lateraliter visa.

Tab. IX. *Cyphomandra divaricata*.

Fig. 1. antherae facies. Fig. 2. pistillum. Fig. 3. calyx. Fig. 4. stamina situ naturali cum corollae fragmento et pistillo. Fig. 5. antherae dorsum.
Fig. 6. anthera lateraliter visa.

(Hiezu Jahresber. Bog. 2.)

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1845

Band/Volume: [28](#)

Autor(en)/Author(s): Sendtner Otto

Artikel/Article: [Monographia Cyphomandreae, novi Solanacearum generis 161-176](#)